

terra circulis imaginariis, æquatorem dico, tropicos, Zodiacum, alios. Quando igitur, rationes veterum Aristotelis, et Ptolemæi, et recentiorum qui eos sunt secuti, nulla obstant, et contrariæ multæ persuadeant, et impossibilitatem illam firmamenti, vel supremarum stellarum motus, ostendant, et facilitatem motus terræ maiorem, videtur recta, ac philosophica ratione concludi posse, firmamentum et eius stellas omnes stare, terram vero circulariter moveri. Quando vero, monitu Aristotelico, in rebus sensui non manifestis, ratio ad possibile ferat, rationabiliter ac sufficienter conclusum esse, est putandum. Hisce addimus moveri posse terram, non circa ignem, aut antichthona, ut Philolaus, et Oecetes existimarunt. Neque, ut Copernicus in orbe lunæ. Quod ei absurdum accidit quia putavit, planetas, sicuti alia astra, orbibus infixos ferri. Qua opinio, mala omnia in Astronomiam, et in physicam invexit. Sed in medio mundi positam, super centro, non sibi proprio Heraclides, Ecphantus, sed universi centro, quod etiam eius centrum sit, moveri circulo, ab occasu in ortum, quod et hi putarunt. At a quo nam movebitur? A natura nimirum sua. Non enim motus hic est violentus. Natura autem omnis uti postea videbimus, est animi proles, sicuti animus est proles intellectus, et hic proles opificis intellectus. A quo, proles hæc, iussa capientes, et a principio sunt operatæ, et in præsens operantur, et in posterum sunt operaturæ, et cathena hac plusquam aurea connexa sunt omnia, usque ad terram, atque universi centrum, ita ut nihil sit timendum, motu hoc circulari, aut partes eius ruituras, vel gravitate sua moveri sit desitum. Continentur enim ac servantur, a suis naturis, animis, et mentibus, quæ sunt illi Chaldæorum, Zonei, et Azoni, et Synoches, et Teletarchæ, quorum mentio est iam facta. Predicta ergo omnia persuadere facile posse videntur, terram in circuitum moveri. Sed et anteriora, qua attullimus stellis motum inesse, æque videntur posse persuadere. Quandoquidem planetæ in motu sunt manifesto, et eiusdem sunt cum stellis aliis naturæ, atque essentiali, quod contendere omnes. Et si essentiali, etiam virium, et si virium etiam actionum dabitur ergo et stellis superis, motus. Nam eas flammæ esse diximus, impossibile autem est, flammæ quiescere, et non moveri. Impossibile autem illud, velocitatis supremarum, ita temperari videtur posse, si ipsarum ab ortu in occasum motum, et terram ab occasu in ortum, simul componamus, ita ut huius possibilitas, impossibilitati remedium afferat, et quod impossibile videbatur, possibile hac temperie reddatur. Sed quæ adhuc superest quæstio, etiam est solvenda. Si stellæ flammæ sunt, cur non in rectum, sed in circuitum feruntur? Utroque feruntur motu. Sursum quidem quando, stellæ quædam ita a nobis recedunt, ut evanescere videantur. Deorsum vero quando a summitate illa iterum, ad nos ita accedunt, ut visiles fiant. Quales olim Chaldæi dicuntur observasse, certis temporibus apparentes, aliis se se occultentes. Et quod de Hipparcho scribit Plinius, Novam stellam, et aliam in ævo suo genitam depræhendit, eiusque motu, qua die fulsit ad dubitationem est adductus, an ne hoc sæpius fieret. Et non modo an obirent nascerenturve, sed an omnino aliqua transirent, moverenturve. Item an crescerent, minuerenturve. Quæ sane novæ stellæ genitura (si verum sit quæ in cælo sunt, ingenerabilia, incorruptibiliaque, esse) nihil aliud fuisse est existimanda, quam nova suo ævo eius stellæ apparitio. Apparuit autem, quia ex immensa cæli altitudine, in qua oculis nostris non visebatur, sese demiserit, et nobis facta sit propinquior, ita ut conspiceretur. Multi quoque ut Clavius testatur, ex recentioribus, complures auctoritates, et historias adducunt, sæpius stellas huiusmodi, longis temporum intervallis, in cælo exortas esse. Sicuti et proxime, quam nos sæpe magna spectavimus admiratione, anno MDLXXII in Cassiopea nova stella apparuit, et per biennium fere luxit, semper minor facta, tandem evanuit; hoc est primo de altitudine sua descendit, deinde in eandem se se recepit. Non aliter sane quam dicantur planetæ, modo esse in Apogæo, modo in Perigæo, quamvis epicyclis ferri dicantur. Quod nos de nostris minime dicimus. Sed eas et natura, et spiritu, et animis, et intellectibus suis ferri, prout Conditoris Dei, providentia iubentur, et prout mundo expedit ut inoveantur. Qua ratione, si veri sint motus illi trepidationis, stellarumque tum in Septentrionem ab eccliptica, tum in meridiem in modum spiræ, et non circuli, et reliqui omnes si qui sunt alii, qui stellis